

PHYSICÆ SACRÆ  
SPECIMEN  
DE  
LOCUSTIS.

Exhibent

*P R Æ S E S*

JOH. JACOBUS SCHEUCHZER;

MED. D. MATH. P. ACAD. IMPERIALIS  
CAROLINÆ, & SOC. REGG. ANGL.  
& PRUSS. MEMBRUM,

*ac RESPP.*

*Pro consequendo Examine Philosophico,*

JOH. HENRICUS MAAGIUS.

JOH. JACOBUS CELLARIUS.

IN AUDITORIO ÆSTIVO H. L. Q. S.

d. *Jan. septemb.*

---

TIGURI.

---

Litteris HEIDEGGERI & RAHNII.  
-An. MDCCXXIV.





# AKPIΔΟΛΟΓΙΑ SACRA.

## I.

**S**uos habent, & insignes, pro explicando Introductio.  
Sacro Codice usus ut *Philologia, Historia,*  
*Politica,* ita & *Physica, Mathesis, Medi-*  
*cina.* Id demonstrare velle foret soli  
mutuari lucem. Docui id, quoties Sacrae  
Scripturae Textus, qui quidem fori sunt  
mei, pro Cathedra explicui, quotquot nempe occurrebant  
in utriusque Foederis Testamento. Publicae Eruditorum  
censurae exposui *Jobum.* Praesens Thema est *Locustarum,*  
quod Insectorum genus, ut omnia alia corpora, instrumenti  
loco cedit in emolumentum vel poenam, pro nutu scilicet  
summi rerum Rectoris.

## II.

Terrori sunt *Locustae* inprimis Climatibus Calidioribus, Locustarum  
patria.  
Orientalibus & Meridionalibus, imò damno terribili:  
*Aethiopiam, Palæstinam, Aegyptum, Arabiam, Tartariam,*  
*Chinam,* imò totam *Asiam & Africam* magis saepe deva-  
stant, & citius, quam populosissimi hominum Exercitus: in  
*Europam* transmigrantes ut hospites: uti subinde & salutat

& vastat Pestis, Asiæ & Africæ inquilina. Ad Helveticas nostras Terras rarissime volant. Annos 1338. & 1364. fatales memorant Annales Patrii. Transitum, imò & aditum difficilem illis reddunt Alpium juga. Sunt è contra Regiones nostræ obnoxix magis damnis à frigore, Grandine, Tempestatibus aliis. Ita, quod *ὡς ἐν παράδῳ* observamus, sapientissimus juxta ac justissimus DEUS per universam Terram distribuit dona, sed & plagas.

III.

ארבה  
Ægyptio-  
rum plaga.

Terrificam legimus, quam *Ægyptii* passi sunt, *Locustarum plagam* Exod. X. 4. &c. ubi ex 10. diversis Locustarum nominibus in Sacro Codice obviis occurrit vox ארבה *arbe*, quam derivant Lexicographi a רבה *multum esse, multiplicari*. Nec malè, vix enim est Animal Locustâ fœcundius, ut & in Sacris pluralitatis sit Symbolum; videantur Jud. VI. 5. VII. 12. Pf CV. 34. Jer. XLVI. 23. LI. 14. Joel. I. 6. Nahum III. 15. Ubi passim numerosissimi Exercitus comparantur cum Locustis. Pro certo habet *Leeuwenhoek Ex- perim. & contempl.* p. 384. ex vermibus oriri Locustas, viditque famellam supra 80. ponere ova.

IV.

Miraculi in-  
dices sunt,  
prognosti-  
con.

Circa memoratam modò Plagam ex v. 4. attendi me- retur Prognosticon, *ecce adducam cras Locustas, in fines tuos*, veri miraculi *Κριτήριον*. Phænomenon omni Naturali Philo- sophiâ superius. Hodie nihil comparet horum Animalium, sed crastino die inundabunt *Ægyptum*.

V.

Productio.

Non sufficiebat sola adventus indictio. Recensentur specificè damna Regno in ferenda florentissimo. *Operiet superficiem Terræ, ut Terra videri non possit*. Debebat magnus hic DEI Exercitus Joel II. 25. nubis ad instar densæ *obscurare* primò Aerem, pro in Terram, quod legitur v. 15. sed mox sese demittere in Terram, eamque *operire*. Monenda hic nonnulla de Locustarum generatione *Swammerdamio* teste *Hist.*

*Hist. Insect.* p. 81. qui Insecta hæc ad secundum mutationis ordinem refert, *vermiculus priori Nymphæ forma, qua in ovo absque alimento conspiciebatur, relictâ, paulatim assumptis alimentis per epigenesin in membra evidentiora excrescit, donec iterum in alteram Nympham abeat, non tamen motus expertem, ex qua ceu Insectum alatum in lucem prodit & tanquam nubili ætate ad generationem, suæque speciei propagationem pro ratione sexus sui inseruit.* Nemo hinc non videt, breve nimis extitisse tempus ab hodierno die ad crastinum ad tanti Exercitus productionem, licet vel ovula jam adfuissent, vel Nymphæ vermiculi. Longiorem moram poscit Natura. Pone, si itavelis, fuisse jam actu generatas Locustas in vicina quadam Ægypto Provincia, nec opus fuisse nisi *Euro v. 13.* memorato, qui hospites inhas Terras adduceret. Id quod contingere potuit. Sed quis est, qui præfixo & prædicto tempore ventum hunc concitavit? Nonne, qui ut aliis omnibus Creaturis, ita & ventis imperat *Matth. VIII. 26. 27?* Naturalis namque est numerosissimæ prolis in Regionibus orientalibus productio: dum in Europa nostra à frigore aliisve tempestatum injuriis magna vel maxima ovulorum pars perit, ibi plerisque vel omnibus ad ultimum perfectionis gradum felici Aeris temperie elatis. Contentionis feram tecum non recipiæbimus, qui in ipsa Ægypto jussu DEI immediatè producta dixeris. Sufficiat nobis demonstrasse miraculum.

VI.

*Depascent* Locustæ, ita pergunt minando & vaticinando DEI altissimi Ministri & Legati, *residuum quod servatum est, quodque relictum est vobis à Grandine, comedent etiam omnem arborem germinantem vobis in agro. v. 5.* & en Prophetiam impletam *v. 15.* *Comedit* Locusta omnem herbam Terræ, & omnem fructum arborum, quem reliquum fecerat Grando: non relictum est aliquid viroris tam in Arboribus, quam in reliqua herba agri per totum Terram Ægypti. Neque id mirum. Ubi sese demittunt cunque hujusmodi Exercitus, nihil

Interminat  
& execu  
tioni datur  
damnum.

manet reliqui, paucis horis absumitur totius anni labor: quicquid in agris viret, vorant Animalcula hæc, excorticant, radunt, deglabrant: Imò voracia sunt adeò, ut ubi nihil manet reliqui, in mutua sæviant viscera experientiâ teste. Neque solo morsu dicuntur nocere Locusta, sed & contactu adurere. *Saliva earum virus est herbis & arboribus tam noxium, ut in quodcumque incidat, id deperdat.* Ita Bochart. Hieroz. P. II, L. IV. c. 3. ex Damire

VII.

In frumentis

Sed quid, dices, poterat esse reliquum ex prægressa Grandine, quæ percussit in universa terra Ægypti omne, quod fuit in agro & omnem herbam agri percussit, & omnia ligna campi confregit. Exod. IX. 25. Solvit hunc nodum ipse Scriptor Sacer Exod. IX. 31. 32. *Linum & Hordeum percussa sunt, Hordeum etiam maturuerat, & Linum in calamos iverat. Triticum verò & Far non percussa sunt, eò quod adhuc latuerant.* Ad quem locum notandum, Linum in calidioribus illis Regionibus, qualis est Ægyptus, seri etiam ante Hyemem non Vere, ut in Europa & Verno tempore cum aliis frumentis hybernis maturari. In Græcia & Asia omnia Vergiliarum Occasu seruntur. Plin. L. XVIII. c. 7. De Hordeo minùs adhuc dubitare licet, nam & nobis est polystichum hybernum, Winter-Gerste/ quod in Ægypto sexto à Jatu mense meti dicit Plinius l. c. seri autem inter Æquinoctium autumnale, & Solstitium hyemale Cassianus Agricult. L. I. c. 12. & Virgil. Georg. L. I.

Libra dies somnique pares ubi fecerit horas,  
Et medium luci, atque umbris jam dividet orbem,  
Exercete Viri Tauros, serite Hordea campis,  
Usque sub extremum Brumæ intractabilis imbrem.

Percussit itaque Grando in hordeacea messe, Martio mense, Tritico & Zea relictis pro Locustis. Zeam cum optimis interpretibus vertimus pro זמזם Zeam nempe dicoccon vel Zeana

*Zeam majorem C. B. Spelz/ Dinfel/ Zwenforn/ intelligimus, non Secale Roggen. Habet & Latina nostra Far, quo nomine veteribus veniebat Zea, Φάρρος ὀκαλῶσι Ζεαν. Asclepiades apud Galenum secund. loca 3. Sed & notandum, Grandinem nunquam ita percutere, ut nil maneat reliqui. Solemus dicere, Grandine omnia esse deleta, der Hagel habe alles erschlagen/ sed intelligendum semper est ὡς ἐπὶ τὸ πλὸν. Observat Fuller Misc. L. III. c. II. quod Triticum & Far adhuc tenera lenta flexilique sua mollitie ingruentes grandinis ictus evitarint, & subterfugerint. Adde, ipsa frumenta, si nondum inspicias iverint, posse prostrata licet resurgere, imò mox regerminare.*

VIII.

Haud proin est necesse, fingere hiatum mensium aut annorum inter plagam Grandinis & illam Locustarum, quo spatio succreverint nova gramina, novæ segetes, novi Arborum fructus. Non scripsisset Moses, Locustas absumsisse, quod servatum est à Grandine. Id fanè non potuit relinqui, quod nondum erat, quod nondum è Terra progerminavit. Obstat quoque huic figmento Chronologia, quæ nobis ostendit, non trivisse Mosem annum integrum in patrandis miraculis. Agebat vir DEI annum 80. cùm convenit Pharaonem Exod. VII. 7. & anno ætatis 120. mortuus est in ora Terræ Canaan. Deut. XXXIV. 1. 5. Intercesserunt proin 40. anni ab accessu Mosis ad Pharaonem ad decessum ejus è vita. Dicuntur autem Israelitæ per 40. annos iter fecisse per desertum. Neque spatium adeò longum convenit satis cum DEI Bonitate, ut populo suo jam ad incitas redactò tam lentè subvenisset, & tot moris interpositis. Sed & Justitia ejus requirebat, ut in tam gravem Pharaonis σκληροκαρδίαν continuis plagis animadverteret, nec ullo ei dato respirandi spatio. Proinde iis accedimus, qui decem plagas Ægyptiis inflctas intra breve tempus contrahunt, puta menstruum, aut circiter. Bochart. l. c.

Plagæ bre-  
vi tempore  
una aliam  
secutæ.

I X.

Locustæ  
mortuæ plus  
sæpe nocent  
quàm vivæ.

Imò verò perniciosæ adeò sunt Locustæ, ut mortuæ sæpe plus noceant quam vivæ, nempe virosâ, quam exhalant, mephiti particularum acrium volatiliùm salinarum, in ducendo *Pestem*. Luem hanc ortam A. 804. ex Locustarum agminibus ex Gallia in Angliam tendentibus mediâ. viâ in Mare præcipitatis, & ad Anglica littora ejectis, quæ tertiam Britannorum partem letho tradiderit, testis est *Sigebertus Gemblacensis* : & sub M. Plautio & M. Fulvio Flacco Coss. numerosi Locustarum Exercitus in Africano Mari demersi foetore suo viroso in sola Numi dia dedere pestum 800000. in ora Carthaginis & Uticæ 200000. Uticæ 30000. milites, teste *Orosio Hist. L. V. c. II.*

X.

Conscen-  
dunt domos.

Pergimus. Pergit & DEI Orator & Minister minando. *Insuper Locustæ domos tuas implebunt, & domos omnium servorum tuorum, & domos omnium Ægyptiorum, quales non viderunt Patres, aut avi tui, à die quo ipsi fuerunt super terram, usque in hunc diem. Et en minas effectui datas! v. 14. Ascendit Locusta super totam Terram Ægypti, & demisit se in omnibus finibus Ægypti, eaque vehementer gravis: ante illam non fuit talis Locusta, nec talis post illam ventura est. Non contenti impudentes hi & ingrattissimi hospites virore agri, cui absumendo aliàs sunt & destinati & parati, implent Pharaonis Palatia, & Ægyptiorum ædes, ut aggredierentur, quæ quorundam est explicatio, Homines ipsos, imò & Venenatis suis morfibis enecarent. Huc trahunt illud Sap. XVI. 9 εἰς μὲν γὰρ ἀκροῖδ' ὠν ἢ μυῶν ἀπέκλεινε δ' ἡμαῖα, καὶ ἔχ' εὐρέθη ἰαμα τῇ ψυχῇ αὐλῶν, ὅτι ἄζιοι ἦσαν ὑπὸ τοιέτων κολαθῆναι. Ubi Libri Author niti videtur verbis Exod. X. 17. Rogate DOMINUM vestrum, ut auferat à me mortem istam. Sed inde neutiquam inferri potest mors Hominum. Effet mors Agrorum, Herbarum, Arborum.*

Ipsi



Ipsi Ægyptii Josephum Proregem ita alloquuntur Gen. XLVII. 19. *Cur morimur, te id cernente? non solum autem nos, sed & agri nostri.* De Arbore Jobus XIV. 8. *Quum radix ejus consenuerit in Terra, & stirps ejus in humo emortua fuerit.* Paulus I. Cor. XV. 36. *ὃ δὲ σπείρεις ἢ ζωοποιεῖσαι, εὐὴ μὴ ἀποθάνῃ.* Imò

Mors, etiam faxis Lapidibusque venit.

Et mors fuere Locustæ Ægyptiis, quia hos subsidiis vitæ, Regem redivis suis privarunt. Verba tandem illa, quæ Locustas designant insolitas *quales non viderunt patres aut avi & quales non sunt venturæ*, scilicet in Ægyptum, intelligi possunt de Locustis extraordinariæ magnitudinis, quales illæ Indicæ (siquidem tales sint) apud Plinium L. IX. c. 3. *quaternum cubitorum & L. X. c. 19. ternum pedum longitudinis, cruribus & feminibus ferrarum usum præbentes, cum inaruerint: vel, quod credendum potius, de numero excessivo, & noxa, ex Historia ipsa colligendis. vid. Bochart. l. c.*

## XI.

Restat Exercitus hujus adventus & discessus. De illo ita Moses, qui baculo extenso debebat dare signum v. 13. *adduxit DOMINUS ventum Orientalem super terram toto illo die, & tota nocte, mane factò attulit Eurus Locustam.* Locustas gregatim volare, imò ventis vehi constans est fama. Plinius l. c. *Gregatim sublatæ vento in maria aut stagna decidunt.* Ventum קַדִּים *Kadim*, cujus vehiculo huc fuere advectæ, vertunt communiter per Orientalem seu *Eurum*. Sed & notat *Austrum*. Hinc Græci Νότον & Νίβα, *Notum & Africum* vertunt, & Κάβωνα *Ventum urentem*. Et placet hæc interpretatio summo viro Bocharto præilla, quum Eurus nonnisi ex Arabia Locustas potuerit in Ægyptum advehere, sed Auster ex Æthiopia, quæ hac Locustarum seu Peste seu progenie multò est fecundior. Sunt namque in Æthiopia nonnullæ gentes ἀρι-

Illarum ad-  
ductio.

δρόμοι, quæ solis vixerunt Locustis, maximâ copiâ ad-  
 vectis per ventos tum Occidentales, tum Meridionales,  
 idque circa Æquinoctium vernum, quo Anni tempore &  
 in Ægyptum adductæ sunt. Extant hac de re testimonia  
 apud *Agatharchidem & Diodorum* L. III. Licet non sit diffi-  
 tendum, potuisse DEUM æque facile advocare agmina illa  
 ex Arabia, quàm ex Æthiopia, imò & creare in Ægypto.  
 Sed advocatas fuisse & vento *tota die & tota nocte flante*  
 advectas aliunde clarum est ex Textu. Nil decedit mira-  
 culo, quod non constitit in mero adventu Locustarum, sed  
 in eo, quòd prædefinito tempore, inmensâ copiâ, fortè &  
 insolitâ magnitudine fuerint nutu Divino Ægypto illatæ,  
 quæ solius Naturæ ductu non salutassent hanc Terram.

XII.

Abductio.

Imò & in eo, quòd ejusdem supremi DOMINI jussu,  
 quo advenerant, fuerint abductæ. v. 19. *Et vertit DO-*  
*MINUS ventum occidentalem, & sustulit Locustas, defixit-*  
*que eas in mare carectosum, ut in omnibus finibus Ægypti ne*  
*una quidem superesset:* & quidem ad Mosis à Pharaone ro-  
 gati sollicitationem v. 18. *Exiit à Pharaone, & oravit*  
 DOMINUM. Ventus ille abductor vocatur אֵרַוּ *ventus*  
*Maris*, nempe Mediterranei, qui proin Locustas præcipita-  
 verat in *Mare Rubrum*. In hac præcipitatione seu de-  
 fessione non quarendum vel fingendum miraculum: lassari,  
 vento inprimis remittente Locustas longo tractu, quem tra-  
 jicere deberent, necessum est.

XIII.

Locustæ in  
 cibum ad-  
 ductæ mi-  
 raculo.

Non duntaxat in poenam veniunt Locustæ, sed & in  
 cibos: siquidem אֵרַוּ Exod. XVI. & Num. XI. sint, quod  
 vero est simillimum, Locustæ Examinemus Historiam, imò  
 duplicem. *Utinam*, ita lamentatur rebellis & incredula  
 Natio

Natio Exod. XVI. 3. *utinam mortui essemus per manum DOMINI in Terra Ægypti quando sedebamus nos ad ollas carniū, & quando comedebamus Panem ad satietatem, quoniam eduxistis nos in desertum istud, ut omnem congregationem istam fame conficeretis.* Et en DEI potentissimi simul & Clementissimi ad murmurantem populum per Mosen responsum. *Quum DOMINUS dederit vobis ad vesperam carnes ad edendum, & panem mané ad satietatem, testabitur se audisse querimonias vestras, quibus iussitatis adversus eum v. 8. stat DEUS promissis, factumque est vesperi, ascendit וְשָׁרָא operuitque castra v. 13. advolant nempe prædicto tempore ex plaga maris, quod ex naturalibus vel signis vel causis præsagire nemo poterat, וְשָׁרָא in Desertum Sin.*

XIV.

De his וְשָׁרָא disceptatur acriter, & utrinque magnis aciebus ac fortiter pugnant *Coturnices* atque *Locustæ*. Pro *Coturnicibus* stat magna Scriptorum & Versionum caterva, inprimis *Hysperaspistes* eruditissimus *Bochartus Hieroz. P.I. L. I. c. 14.* stat Synonyma τῆς וְשָׁרָא, Chaldæorum וְשָׁרָא *Selau*, Syrorum *Salvai*, Arabum *Selwa* ut & Turcarum apud *Meninzk. Lexic. 2664.* quæ quidem vox etiam est *Mellis* & *Mannæ* Synonyma. Stat auctoritas τῶν LXX. qui quidem non reddunt ὄρλυγα, *Coturnicem*, sed ὀρτυγομήραν, uti quoque Author Sap. XVI. 2. XIX, 12. & *Philo L. I. vit. Mos.* quam ὀρτυγομήραν coturnicis speciem præmagnam simpliciter in ὄρλυγα vertit *Josephus L. III. c. I.* quem secutus *Hieronymus*, & post eum ad unam omnes ferè Europææ Versiones. Non morantur nos Judæorum somnia de diversarum & delicatissimarum Avium generibus, quæ involârunt in Judæorum castra, qui in *Joma c. 8. f. 75. b.* definiente *R. Chanini Barabba* ex Solis Coturnicibus numerant quatuor species שְׁבִילֵי *Sicli*, & קִבְלֵי *Kichli*, & פְּסִינֵי

ὀρτυγομήραν  
μυξία.

*Phasianum*, & שלש *Selau* i. e. *Ficedulam*, *Turdum*, *Phasianum*, *Coturnicem*. Nec moratur *Bocharti* Apologeticum pro *Coturnicibus*, atro lapillo notatis apud Medicos, quia vescantur *Elleboro*, &, quæ pejor est, *Cicutâ*; cui addere potuisset, ita sæpe alimenta per se noxia multis digestionibus, præparationibus, secretionibus mutari, ut aliam prorsus, & salubrem, indolem in carnibus inde nutriri solitis induant. Nota *Tucca* Planta venenata, quæ Americanis dat Panem.

XV.

Vincunt Locustas;

Pergo properans ad III. *Ludolfi* sententiam, cui subscribo, non quia recentior, sed quia fortioribus stipata est rationibus. Vertit is in eruditissima sua *Æthiopiae Historia*, hujusque *Commentario* שלש per *Locustas*. Favet parallelismus Locorum *Exod. XVI. 13. Num. XI. 31. 32. Ps. CV. 40.* ipsa Etymologia, à שלה *abundavit* *Locustarum* agminibus potius quàm *Coturnicum* gregibus: Extat in ipso *Alcorano* vox *Selwa*, de cujus interpretatione commentatores Arabes litigant valde, conformes futuri, si vox illa notaret *Coturnicem*, quæ *Avis* in Oriente nemini non nota, Turcis *Boldürgin*, Persis *Semane*, Arabibus *Süman*, *Sümani*, uti videre est in *Mieninzk. Lexic.* p. 874. 940. 2668. apud quem equidem p. 2664. occurrit etiam vox *Selwa* tanquam *Coturnicis* *Synonymum* *Turcicum*, id quod in avis hujus defensionem adduci posset. Sed videtur insignis hic *Linguarum Orientalium* interpres voci huic *Alcoranicæ* imposuisse, quam in *Europæorum Bibliis* invenit, explicationem; imò & p. 4918. *Mannam* illam *Israeliticam* vocat *Menni Selwi*, *Selwa*, & his vocibus bina illa donaria miraculosa à *DEO Israelitis* concessa jungere videtur. Fatetur *Ludolfus* lucem sibi foeneratum esse inprimis *Porphyrium Pythagoricum*, qui *L. I. §. 25.* mentionem facit

facit Exercitus cujusdam in Africa, qui fame periisset prope, nisi auxilio venisset *κατὰ τὴν λιβύην νέφθ' ἀκρίδων*. In mentem venerat illicò, annon tale quid accidere potuerit ipsis Israelitis. Apud *Strabonem* postea L. XVI. p. 772. populos Arabes offendit *ἀκριδοφάγης*, qui Locustas fumo præcipitent, muriâ condiant & comedant: idem apud *Diod. Siculum* L. III. c. 29. apud *Plinium* L. XI. c. 29. 35. *Parthis Locustas in cibo esse gratas*: apud *Alvarez. Itinerar. Æthiop.* c. 32. in Abyssinia immensos esse Locustarum Exercitus qui consumant omnia; vidisse ipsum se agmen, quod sese protenderit ad 6. milliarium Germanicorum longitudinem: apud *Nic. Clenardum Epist.* L. I. p. 73. Africanis rusticis bella esse cum Locustis: urbi Fez inferri currus integros Locustis plenos: apud *Petrum Kirstenium* ad Matth. V. 4. esse Locustas in Arabia & Africa cibum suavissimum, ubi & modus extat præparationis: apud *Job. Nieuhof Descript. Regn. Sinar.* p. 377. comedi hæc Insecta à Chinoisibus, imò esse in cupediis. Et testatus est insuper *Ludolfo R. Anania* Judæus Maroccanus, non comedi duntaxat Locustas ab Africanis, sed quoque à Judæis, delicatioris esse saporis, quàm columbarum pullos. Extat insignis locus apud *Aristophanem Act. IV. Scen. 7.* p. 424.

Πότερον ἀκρίδες ἰδιόνισιν ἢ κίχλαι;

Οἱ μῶς ὑβρίζεις. Δ. τὰς ἀκρίδας κρίνει πολὺ.

Utrum Locustæ suaviore sint, quàm Turdi?

Eheu! quàm injuriosus es. D. Locustas, judicat multò  
(suaviore.)

Quid multa? Patet ex *Levit. XI. 21.* Insecta hæc inter Animalia munda collocari, imò v. 22. enumerantur, quas mox videbimus ipsæ Locustarum species in cibum concessæ: & in Novi Testamenti Historia *ἀκριδοφάγον* habemus ipsum Divum Johannem Baptistam.

XVI.

Secundo anno  
Israëltis  
per miracu-  
lum addu-  
ctæ.

Lucem clarissimam controversiæ huic affundit secunda  
 ־לִיִּשׁ mensa, quam populo suo rebelli paravit DEUS in  
 Arabiæ Deserto, exacto à priori anno sub finem secundi  
 mensis, anno ab ἕξόδῳ secundo in *Kibroth thaava*, convi-  
 vium non unius diei, neque duorum dierum, neque quinque  
 dierum, neque decem dierum, sed neque viginti dierum, quin to-  
 tius mensis, donec exiverit (caro) è manibus Israëlitarum.  
 Num. XI. 19. 20. Cibi non ex Officina Naturæ ordinaria  
 sed miraculo adducti, Vento nempe à DOMINO, qui  
 abripiens ־לִיִּשׁ à Mari disjecit eos ad castra v. 31. vento  
 præter ordinarium Naturæ cursum à DOMINO Naturæ  
 Authore huc directo. Coelo movebat Eurum, & virtute  
 sua Africum adduxit. Et depluit super eos carnem tanquam  
 pulverem, & alas volucres veluti arenam. Ps. LXXVIII.  
 26. 27. de quo vento, an Zephyrus fuerit, qui Clerico  
 placet, an Eurus, vel Africus, alibi dabitur forsan commo-  
 dior differendi locus. Fortè sententiarum divortia con-  
 ciliabit, qui Bocharto haud displicet, *Euro Notus*, ut huc  
 possit applicari illud *Virgilio*

Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis  
 Africus.

& *Homeri Iliad.* π. v. 765.

Ως Νεῦρός τε Νότος τ' ἐριδ' αἰνέλον ἀλλήλοισιν.

XVII.

Maximã  
 Copiã.

Quadrat porrò Ludolfiano systemati Locustarum ille  
 veluti Imber seu *per omnia Castra*, seu *circum circa Castra*,  
 sive *ad Castra*, nam diversimodè explicant voces נֶחֱמָה לַי.  
 Locus ita se habet v. 31. *Disjecit* (DEUS ־לִיִּשׁ) *ad Castra*  
*circum quaque spatio itineris diurni fere duobus cubitis in su-*  
*perficie Terræ.* Adest heic θεῖόνι. Cur enim demisit se  
 Nubes

Nubes illa Locustifera in & intra Castra? cur non milliarium aliquot à Castris spatio? Si præcisè ad & extra Castra, cur non intra ea? Si intra, cur non extra? Considera Castrorum Israeliticorum, omnium haud dubiè, quæ fuerunt unquam, perfectissimorum amplitudinem, imò si placet emetire, videbis mirum in modum augeri miraculum. Feci tentamen, dum hisce diebus Castramentationem illam juxta Artis regulas quocunque modo in charta delineavi quo fundamento, seu principio probabilitatis nixus nunc qualem cunque formabo calculum. Inveni, Longitudinem extremam Castrorum 17600. latitudinem 14750. sit iter diurnum, de quo Moses, non Majus Itinere Sabbathico, quod *Eisenschmidio* est 2000. cubitorum, id est, 551. hexapodarum Gallicarum 5. ped. i. e. 6617. pedd. Paris. invenietur Solus ambitus ille itineris unius Sabbathici castra cingens 603258656. pedd. quadratorum, qui multiplicati per altitudinem 2. cubitorum sive  $3\frac{448}{1440}$ . pedd. Paris. dabunt 19975008838 $\frac{24}{45}$ . pedum Cubicorum omnia Salvo errore calculi. Cogita nunc, imò computa, qualis nam proditura foret Summa, si pro Itinere diurno sumseris cum aliis 20000. vel 30000. passus. Prosternit sanè vel Solus hic Calculus Coturnices, sublevatque Locustas: quæ per exercitus volant; offendimus *nubes Locustarum; multitudinem Locustarum prodigio similem: inestimabilem nubem*, apud *Augustin. Civ. DEI. L. III. c. 31.* Vidit, quod huc quadrat, loco supra allegato *Alvarez.* Locustas jacentes spatio illo 8. Leucarum Lusitanicarum duas ulnas in altum (*dos covados d'altura*) Nostra hæc duorum cubitorum altitudo explicante *Bocharto* intelligi potest ita 1. *ut Coturnices* (quas ille vult) *in toto illo spatio ita fuerint coacervata, ut ubique ad duos cubitos eminuerint.* 2. *ut Coturnicum fuerint bicubitales acervi ita Dispersi hinc inde, ut vacua subinde spatia remanserint, per quæ populus iter faceret, cibos*  
à DEO

à DEO oblatos collecturus. 3. ut in ipso volatu ita se demiserint, ut à Terra non abfuerint plusquam 2. cubitis, quasi captantium manibus ultrò se offerrent. Ex quibus opinionibus Bocharto ipsi Hieroz. P. II. L. I. c. 15. placet media. Prior sanè Coturnices planè nil juvat, quum vix sufficissent Hemisphærii Terræ Coturnices ad replendum illud spatium, imò nequidem ita coacervatæ vivere, sed suffocari debuissent, nisi confugere vellemus ad nova miracula, & miracula miraculis tegere, scilicet ne perpluant, quæ celebris commentatoris sunt verba. De dispersis hinc inde Coturnicum acervis nîl Moses, & ne hi quidem in vivas Coturnices quadrant: neque te extricaveris, si dixeris, demisisse se illas ad 2. cubitorum altitudinem supra Terram: si perrexerunt volando, volassent brevi trans Castra neque de iis dici potuisset, disjectos fuisse circum quaque spatio itineris diurni, fere duobus cubitis in superficie terræ. Sed forsân suspensæ manserunt, ut eò faciliùs à quovis captari potuerint. Id rursum novum accerseret miraculum. Volatus quippè avium, harumque structura juxta hujusmodi æquilibrationem suspensam consistere nequit. Sed quidem de Locustis dici potest sensu literali, jacuisse ad 2. cubitorum altitudinem, & tamen mansisse vivas.

XVIII.

Collectio.

Favet porrò Locustis v. 32. Et surgens populos collegerunt toto illo die, & tota nocte, toto denique sequenti die כֹּחַלִּים quique parum collegit, collegit decem Homer, exanderuntque sibi expansiones circum castra. Colligebant, quadrat melius in Locustas, captabant, in Coturnices. Erat חומר Chomer sive כור Corus mensurarum pro aridis maxima, continebatque 2. Lethech sive 10. Ephra, sive, ut reducunt hodie, 20220. pollices cubicos, juxta reductionem meam



meam II. quartalia, Viertel/ &  $6\frac{1}{7}$ . modiolos, Maßlein. Collegit ita pater quivis familias 36. horarum spatio II4. quartalia  $1\frac{1}{7}$ . modiol. mensuræ Tigurinæ. Quæ circumstantia prorsus non quadrat Coturnicibus, quæ, si plures sint, numerantur e. g. per *δύοδεκάδας*, non mesurantur quartalibus aut modiolis. Et pone, collegisse tot Coturnicum quartalia. Qui, quæso, Aves hæc conservassent Israelitæ? vivas ne, an mortuas? quomodo vivas cibassent in deserto? caveisne inclusissent, an liberas sibi reliquissent? Et quid temporis postulasset occisio? nam Judæis non licebat collum obtorquere avi: debebat jugulo scisso sanguis omnis effluere, avis postea deplumari, imò & exenterari: & quam ratione conservassent mortuas, deplumes, exenteratas, in Climate adeò calido? quo carnes Animalium paucis horis putrescunt. In his omnibus casibus opus utique fuisset novis semper miraculis. Ast nodos omnes solvit Locustarum systema, quæ abruptis capite & alis debebant saltem terreri: huic labori pares erant non viri duntaxat, sed & fæminæ, & infantes. Non quidem de præparatis remanserat nisi dimidium, quartalia 57. pro familia, sed suffecit hæc quantitas, pro mense  $1\frac{2}{3}$ . quart. pro die. Mire se heic, ut Coturnices salvet, torquet Bochartus, cui ipsi nimia videtur 10. Chomer quantitas pro familiis singulis, quæ de *Manna* non plus colligebant quàm unicum *Homer* i. e.  $\frac{1}{100}$ . *Chomer*, explicat proin 10. Chomer per 10. *acervos*, uti quoque Exod. VIII. 14. *Ægyptii ranas collegisse* dicuntur *acervatim*, per *acervos*, חֲמֵרִים, & præterea non præcisè intelligi vult 10. *acervos*, sed ingenere *plures*: Fuit namque numerus Judæorum denarius sæpe pluralis. Gen. XXXI. 7. Num. XIV. 22. Ingeniosa est hæc, fateor, interpretatio, quâ solvi posset nodus, si non foret nisi unicus. *Expandebant Israelitæ Locustas circum castra*, ne scilicet *acervatim* sibi

superinjecti putrescerent, sed ut Soli expositæ citiùs tantò torrerentur, sic facillè conservandæ, ut nos torrere solemus Phaseolos, Piscez &c.

XIX.

Locustæ  
esules.

Pro ultima hujus Dissertationis mensa sùnt *Locustæ* Lev. XI. 22. recensitæ, quæ solæ ex infinito Insectorum numero mundæ declarabantur à summo Legislatore, præcepto positivo, post tot alia, quæ esum Quadrupedum, Piscium & Avium spectant, negativa seu prohibitoria.

1. אַרְבֵּה *Arbe*, cui fortè affine est vocabulum *renb*, quo Turcæ significant *Locustam brevis caudæ* apud *Meninzk. Lex.* p. 2364. Et fanè *Arbe* etiam juxta Talmudicos caudâ profus caret:

2. סֶלַעַם *Solam, Saleam.*

3. חֶרְגוֹל *Chargol.*

4. חַגַב *Chagab*, cui ex Arabum hodierna Lingua affines sunt voces *giabi, ebu giuchad*, quæ *Locustas* in genere significant *Meninzk.* p. 6017. 6020.

XX.

Earum  
species.

Vocum illarum Etymologiæ non immorabor, quia inde pro *Locustarum* distinctione nullæ notæ characteristicae elici possunt. Certum autem est, indicari distinctas species. Paret id ex Joel. I. 4. *Quod reliquum fecit Eruca* אֵרֻכָּה *comedit Locusta* אַרְבֵּה *quod Locusta reliquum fecit, comedit bruchus* בְּרֻחַס *& quod bruchus reliquum fecit, comedit Róbigo* רוֹבִיגוֹ. Ad quem locum observandum, omnia hæc 4. nomina *Locustis* tribui. Sed neque notas *Locustarum* nostrarum edulium *Diarselinæ* præbet *LXXviralis*, in qua extant 1. βραχῶν vel βραχῶν. Tarentinis

tinis *Attelabus*. 2. Ἀττάκις, Ἀττακός, vel ἄσακός. 3. ὄφις-  
 μάχης 4. ἀρεῖς. Ex Talmudicorum scriptis speciatim  
*Cholin*. c. 3. f. 65. & 66. præter obscura Synonyma nil  
 reperias, nisi quòd *Chargol* habeat gibbum & caudam, *arbe*  
 neutrum, *Solam* gibbum sine cauda, *Chagab* caudam sine  
 gibbo; & quòd *Locustæ* omnes mundaæ quatuor habeant  
 pedes, quatuor alas, crura longiora, alæ tegant totum cor-  
 pus, quæ notæ *Gryllo* quoque competunt, quintâ exceptâ  
 notâ, caput nempe longius. Mirum fané, etiam doctissi-  
 mos ex Judæorum Gente fateri debere suam in hac re  
 ignorantiam, quum tamen in dubium sit, notas fuisse usque  
 ad CHRISTI tempora, quibus Johannes Baptista vivebat  
 ἀκριδὸφαγῶν Judæis perspectas. Fatetur ignorantiam suam  
 incomparabilis *Bochartus*. Fontes, ex quibus hauriri ali-  
 quid certi, de quo non desperandum, poterit, sunt *Historia*  
*Locustarum naturalis*, exquisita singularum, edulium in pri-  
 mis adhuc hodie, descriptio, nomina diversarum Gentium,  
 si quæ forté essent nostris analogæ. Tentare aliquid ausus  
 est diligentissimus rerum naturalium ex omni. Orbe col-  
 lector, Amicus meus optimus, *Job. Henricus Lincke* Lipsiensis  
 in *Bresl. Sammlung*. XVI. Versuch. p. 543. ubi Talmu-  
 dicorum descriptioni insistens Icones nobis dat, quas ἀπο-  
 φερῶν loco lectori benevolo communicamus. Ubi quæ  
*Arbe* titulo venit, convenire videtur eduli apud Africanos  
*Locustæ maximæ cinereo-purpureæ*, maculis brunis descriptæ  
 & pictæ Tab. I. Fig. 5. ab Illustri ut omnium aliarum  
 Scientiarum, ita speciatim *Historiæ Naturalis* promotore  
 & cultore *Hans Sloane* Baronetto Angliæ Fautore meo  
 summo, in opere suo sumtuosissimo *voyage to*  
*Jamaica* p. 29.

F I N I S . .

This is the first of the series of papers  
 which have been published by the  
 Society for the Propagation of the  
 Gospel in Foreign Parts, and which  
 are intended to be a continuation  
 of the former. The first of these  
 papers is a translation of the  
 Gospel of Matthew, and the second  
 is a translation of the Gospel of  
 Mark. The third is a translation  
 of the Gospel of Luke, and the  
 fourth is a translation of the  
 Gospel of John. The fifth is a  
 translation of the Acts of the  
 Apostles, and the sixth is a  
 translation of the Epistles of the  
 Apostles. The seventh is a  
 translation of the Revelation of  
 St. John the Apostle. The eighth  
 is a translation of the Psalms, and  
 the ninth is a translation of the  
 Proverbs of Solomon. The tenth  
 is a translation of the Ecclesiastes  
 of Solomon, and the eleventh is  
 a translation of the Song of  
 Songs. The twelfth is a  
 translation of the Canticles of  
 Solomon, and the thirteenth is  
 a translation of the Lamentations  
 of Jeremiah. The fourteenth is  
 a translation of the Book of  
 the Prophet Isaiah, and the  
 fifteenth is a translation of the  
 Book of the Prophet Ezekiel. The  
 sixteenth is a translation of the  
 Book of the Prophet Daniel, and  
 the seventeenth is a translation  
 of the Book of the Prophet  
 Habakkuk. The eighteenth is a  
 translation of the Book of the  
 Prophet Zephaniah, and the  
 nineteenth is a translation of the  
 Book of the Prophet Haggai. The  
 twentieth is a translation of the  
 Book of the Prophet Zechariah, and  
 the twenty-first is a translation  
 of the Book of the Prophet Malachi.

F I N I S


חַרְגוֹל CHARGOL



חַגָּב CHAGAB.



סֹלָמִים SOLAM.



אַרְבֵּה ARBE.



